

non reddunt hominem absolute et simpliciter bonum. Unde virtutes in gentibus non sunt dicendæ virtutes simpliciter, sed secundum essentialem rationem virtutis. Et forte nihil aliud prætendit sententia opposita : unde quæstio videtur quasi de nomine.]

## § IV

*De æqualitate et duratione virtutum.*

[Dico 1<sup>o</sup> : Virtutes intellectuales, simpliciter loquendo, sunt nobiliores moralibus : tum quia perficiunt nobiliorem potentiam, scilicet intellectum ; tum quia habent nobilius objectum, scilicet res in communi abstractas a materia <sup>1</sup>. Inter virtutes morales, prudentia est nobilior, quia est propinquior rationi, in illa enim subjectatur ; deinde iustitia, quæ residet in voluntate ; sequitur fortitudo, ultimo temperantia, quia bonum rationis magis elucet in fortitudine quam in temperantia : fortitudo enim perficit appetitum in his quæ immediate ad vitam et mortem pertinent, temperantia in his quæ mediate tantum ad utramque pertinent, scilicet in cibis et venereis. Majus autem est bonum rationis in his quæ pertinent ad vitam, a qua cætera in homine dependent, quam in cibis et venereis.

Dico 2<sup>o</sup> : Virtutes morales non remanent post hanc vitam quantum ad suum materiale ; quia non erit amplius locus delectationi ciborum et venereorum, neque periculis vitæ, neque commutationibus et distributionibus necessariis ad usum hujus vitæ ; quæ omnia sunt materia circa quam versantur virtutes morales. Remanebunt tamen quantum ad suum formale in patria, quia remanebit appetitus rectificatus et conformis rationi <sup>2</sup>.

Et hæc pauca de passionibus et virtutibus instituto nostro sufficiant. Qui plura scire cupit, legat quæ fusius S. Thomas de his tractat in locis citatis, item de septem donis Spiritus sancti, de octo beatitudinibus et de duodecim fructibus Spiritus sancti, usque ad quæst. 71.]

1. Hic q. 65. — 2. Hic q. 67.

TRACTATUS  
DE PECCATISD. Thomas, I<sup>o</sup> II<sup>o</sup>, a q. 71 ad 89.

## DISSERTATIO I

## DE NATURA PECCATI

## ARTICULUS I

*Quid sit peccatum?*

Dico <sup>1</sup> : Peccatum recte definitur ab Aug., lib. XXII *contra Faustum*, c. 27 : « Factum, vel dictum, vel concupitum contra æternam legem. »

*Prob.* Illa definitio est bona, quæ explicat materiale et formale definiti ; nam per id utrumque res dignoscitur. Atqui, dum dicitur, *factum, vel dictum, vel concupitum*, explicatur materiale peccati, quod est actus humanus. Dum dicitur, *contra æternam legem*, explicatur formale ; inde enim actus est peccaminosus, quod sit contra legem æternam.

1. Hic q. 71, a, 6, o.

[*Objicies*: Hæc definitio non convenit omni peccato. Ergo non est legitima. — *Prob. ant.* Hæc definitio non convenit peccato omissionis, quod non est factum, etc. Ergo non convenit omni peccato.

*Resp. Nego ant.* — Ad probat. iterum *nego ant.* In moralibus, affirmatio et negatio ad idem genus reducuntur. Sed ommissio est negatio, seu potius privatio voluntaria actus debiti, qui est quædam affirmatio; nam in omissione voluntaria et culpabili est noluntas obediendi et eo ipso voluntas resistendi legi. Ideo ommissio non potest esse voluntaria, nec consequenter culpabilis in individuo, sine aliquo actu qui sit causa vel occasio illius, non ex parte operis, sed ex parte operantis. Ergo, ratione hujus actus seu facti, convenienter comprehenditur sub hac definitione peccati. Ergo hæc definitio est legitima.]

Dico 2<sup>o</sup>: Essentiale est peccato quod sit injuria et offensa Dei.

Sequitur ex præcedenti. Est enim essentiale peccato quod sit contra legem Dei, ut dictum est. Qui autem sciens et volens agit contra legem, offendit legislatorem, quia ejus voluntati contradicit, eique debitam obedientiam et subjectionem recusat.

Et hinc colliges, non posse dari peccatum mere philosophicum, id est quod sit solum contra rationem et non contra Deum, nec ejus offensa.

[Videtur quod, si res in abstracto consideretur, peccatum philosophicum distingui possit a peccato theologico. Dicit enim S. Thomas, 1<sup>a</sup> 2<sup>a</sup>, q. 71, a. 6. ad 5: « A theologis consideratur peccatum præcipue secundum quod est offensio contra Deum, a philosopho autem morali, secundum quod contrariatur rationi. » Sed hoc hypothetice tantum seu conditionate intelligendum est, ut patet ex his ejusdem verbis, 2<sup>a</sup> 2<sup>a</sup>, q. 20, a. 3, o: « Si posset esse conversio ad bonum commutabile sine aversione a Deo, quamvis esset inordinata, non esset peccatum mortale. »

Et hanc rationem ibidem affert: « In quolibet peccato mortali, principalis ratio mali et gravitas est ex hoc quod avertit a Deo. » Ergo, si conversio ad bonum commutabile posset esse sine aversione a Deo, peccatum non esset theologicum, sed tantum philosophicum, ut « soli naturæ rationali et rectæ rationi disconveniens. »

Dico: Peccatum mere philosophicum de facto existere non potest.

*Prob. 1<sup>o</sup>* ex condemnatione ab Alexandro VIII directa, die 24 augusti 1690, contra propositionem sequentem, quam, textus aliquos torquendo, Arnaldus effinxerat, ut eam adversariis suis, pro more suo, attribueret: « Peccatum philosophicum seu morale est actus humanus disconveniens naturæ rationali et rectæ rationi; theologicum vero et mortale est transgressio libera legis divinæ. Philosophicum, quantumvis grave, in illo qui Deum vel ignorat vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum, sed non est offensa Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque æterna pœna dignum. » — Hæc propositio fuit « declarata et damnata uti scandalosa, temeraria, piarum aurium offensiva et erronea. »

*Prob. 2<sup>o</sup>* ratione. Ex Augustino, peccatum theologicum est « factum, vel dictum, vel concupitum contra æternam legem, » et ut advertit Angelicus in priori loco supra relato, « Augustinus convenientius definit peccatum ex hoc quod est contra legem æternam, quam ex hoc quod est contra rationem, præcipue cum per legem æternam regulemur in multis quæ excedunt rationem. » Unde sequitur hac lege nos regulari etiam in his quæ pertinent ad rationem. Atqui quoties aliquid agitur contra rectam rationem, læditur lex æterna. Ergo hujusmodi actus est peccatum theologicum. — *Prob. min. 1<sup>o</sup>* Recta ratio nihil aliud est quam participatio legis æternæ, seu lumen intellectuale nobis legem æternam manifestans. Ergo non potest quis agere contra rectam rationem, quin simul lædat legem æternam.

Si *objicias* quod qui agit contra rectam rationem potest ad legem æternam non attendere, et consequenter eam

nullo modo lædere, *respondeo* neminem ignorare hoc principium legis æternæ: « Malum est vitandum. » Atqui quicumque agit contra rectam rationem, scit et necessario advertit suam actionem esse malam; supponitur enim eum dictamen conscientiæ spernere. Ergo legem æternam lædit. Ergo peccatum theologicum admittit.

2º Ex ipso nomine intelligitur peccatum theologicum contra Deum committi. Qui enim conscie agit contra rectam rationem præcipientem aut prohibentem, percipit se subvertere ordinem naturalem, et saltem implicite cognoscit hunc ordinem statutum fuisse ab æterno et supremo legislatore, id est a Deo. Ergo contra Deum ipsum peccat. Ergo tale peccatum est theologicum.]

## ARTICULUS II

*Utrum formale constitutivum peccati commissionis consistat in positivo, an in privativo?*

Quia circa hanc quæstionem maxime divisi sunt theologi, etiam Thomistæ, ut omnibus satisfaciam, breviter proponam præcipua utriusque sententiæ momenta, cum responsis adversæ partis.

### § I

*Proponitur sententia reponens formale constitutivum peccati commissionis in privativo?*

1º Juxta Scripturam, SS. Patres, præsertim S. Thomam, peccatum est *nihil*, est aversio a Deo, est carentia seu privatio perfectionis et rectitudinis debitæ. Ergo.

2º Peccatum est essentialiter malum, imo summum malum. Atqui malum est essentialiter privatio; omne ens enim, in quantum ens, est bonum. Ergo.

3º et præcipue. Si malitia moralis seu formale constitutivum peccati sit aliquid reale positivum, Deus erit causa peccati formaliter æque ac actus boni, æque in utrumque influet, æque utrumque in Deum referri poterit, æque erit Deo amabile et amatum, æque habebit ideam in Deo, etc. Consequens est plus quam falsum et expresse damnatum in Concil. Trid., sess. vi, can. 6<sup>a</sup>. Ergo. — Prob. sequel maj. Deus debet esse causa omnis realis positivi, alias non esset prima et universalissima causa, quæ exigit ut omne reale positivum, sub omni reali et positiva formalitate, sit ab eo qui est fons totius esse. Ergo.

### *Responsiones adversæ partis*

Observant 1º esse duplex malum: malum absolutum et simpliciter, quod nihil bonitatis et entitatis includit, ut privatio frigiditatis in aqua calida; malum respectivum et secundum quid, quod aliquid entitatis et bonitatis includit, et ita est alicui malum, ut possit esse alteri bonum, ut calor in aqua. In actu peccati utrumque malum reperitur: malum respectivum et secundum quid, scilicet tendentia positiva ad objectum dissonum regulis morum; et malum absolutum et simpliciter, scilicet privatio rectitudinis connotata et causata ab actu positivo, seu eum comitans et in illo fundata.

Observant 2º privationem posse considerari dupliciter: in fieri et in facto esse. In fieri est quid positivum, in facto esse est nihil. Patet in morte, quæ in fieri est quid positivum, puta morbus aut vulnus lethale; in facto esse, mera privatio vitæ. Ita in actu peccati: privatio rectitudinis in fieri est quid positivum, scilicet tendentia actus in objectum dissonum regulis morum; in facto esse, mera privatio ex hac tendentia resultans.

1. « Si quis dixerit, non esse in potestate hominis vias suas malas facere, sed mala opera, ita ut bona, Deum operari, non permissive solum, sed etiam proprie et per se, adeo ut sit proprium ejus opus non minus proditio Judæ quam vocatio Pauli; anathema sit. »

Observant 3<sup>o</sup> duplicem esse aversionem: unam privativam, alteram contrariam; in omni peccato esse aversionem a Deo, non solum privativam, sed etiam, saltem virtualiter et interpretative, contrariam, quatenus homo peccando non tantum recedit a Deo, sed virtualiter et interpretative saltem insurgit in ipsum, transgrediendo ejus legem, denegando ipsi obedientiam et abjiciendo ipsum ut amicum et ultimum finem. His observatis,

Respondent ad primum, cum D. Thoma, q. 2 *de Malo*, a. 1, ad 4, peccatum dici *nihil*, non ratione sui formalis, sed ratione modi seu privationis consequentis seu comitantis.

Dicitur *aversio* ratione ejusdem privationis connotatæ, vel sumitur *aversio*, non solum privative, sed etiam contrarie.

Dicitur *privatio perfectionis seu rectitudinis debita*, quia illam fundat et involvit, vel sermo est de peccato ut est malum simpliciter, non ut est malum morale et respectivum. Quandoque etiam SS. Patres loquuntur de peccato habituali.

Ad secundum respondent, peccatum esse malum, non simpliciter et absolute, sed morale et respectivum, quod non consistit in sola privatione.

Ad tertium, *negant* sequelam. Ad probationem *distinguunt*. Deus est causa omnis realis positivi sub ratione entitatis, *conc.*; sub ratione deformitatis, *nego*. Vel aliis terminis, est causa omnis realis positivi materialiter, *conc.*; formaliter, *nego*. Id est, Deus est causa omnis realis positivi simpliciter et absolute, non ut fundantis et connotantis privationem consecutam vel adjunctam. Formale autem constitutivum peccati est positivum reale, non ut effectibile, sed ut defectibile; non materialiter et absolute, sed formaliter, ut fundans privationem: unde non sequitur quod Deus sit causa peccati.

Respondent 2<sup>o</sup> retorsione argumenti, et dicunt, sententiam adversam eadem premi difficultate. Sic enim arguunt: Fundamentum privationis in qua adversa sententia

reponit formale constitutivum peccati, reduplicative ut tale, est quid reale positivum; negatio enim aut privatio non potest esse fundamentum alterius negationis vel privationis, alias istius prioris negationis deberet assignari altera negatio pro fundamento, et sic in infinitum. Ergo, si Deus necessario causet omne reale positivum in peccato, causat ejus fundamentum ut tale.—Subsumunt: Ille vere et proprie causat peccatum, qui causat illius fundamentum ut tale, præsertim cum peccatum formale, in hac sententia, sit privatio. Privatio autem non causatur directe et per se, sed resultat ex positione fundamenti, nec aliter potest causari; quia, cum sit nihil, non potest per se et directe terminare influxum.

## § II

*Proponitur sententia reponens formale constitutivum peccati commissionis in positivo, cum responsionibus adversæ partis.*

1<sup>o</sup> Scriptura explicat peccatum per conversionem ad objectum malum. *Jerem.*, II, 13: *Duo mala fecit populus meus: dereliquerunt fontem aquæ vivæ, et foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas quæ continere non valent aquas.* Et *Osee* IX, 10: *Facti sunt abominabiles, sicut ea quæ dilexerunt.*

2<sup>o</sup> S. Thomas, 1<sup>a</sup> 2<sup>e</sup>, q. 18, ubi incipit agere ex professo de actibus humanis in esse moris, docet, art. 5, ad 2, et q. 72, a. 1, o, et art. 9, ad 1; item q. 79, a. 2, ad 3, differentiam constitutivam actus peccaminosi, qua talis et prout dividitur a bono morali, non esse privationem, sed quid positivum, nempe tendentiam positivam actus ad objectum dissonum rationi; privationem autem se habere tantum consequenter.

Et 1<sup>a</sup> p., q. 48, a. 1, ad 2, et q. 1 *de Malo*, a. 1, o, dicit malum simpliciter in hoc differre a malo morali, quod malum simpliciter consistat in privatione, malum autem morale in positivo cui jungitur privatio. Unde q. 2 *de Malo*,

a. 11, ad 13: «Peccatum, inquit, non est privatio pura, sicut tenebra, sed est aliquid positive.» Et 2<sup>a</sup> 2<sup>e</sup>, q. 6, a. 2, ad 2: «Deformitas [peccati] non solum importat privationem debitæ formæ, sed etiam contrariam dispositionem.»

3<sup>o</sup> Illud est formale constitutum peccati, a quo peccatum habet quod sit primo malum morale. Atqui peccatum commissionis habet primo quod sit malum morale, per positivam et vitalem tendentiam in objectum malum. Ergo. — Et 1<sup>o</sup> quod inde habeat esse malum morale probatur, quia illa tendentia procedit libere a voluntate ut subiecta regulis morum, et respicit objectum morale, scilicet dissonum regulis morum. Ergo pertinet ad lineam moralem, contrahitque ab illo objecto aliquam speciem moralem, non bonitatem, non indifferentiam. Ergo malitiam formalem. 2<sup>o</sup> Quod ex illa tendentia habeat primo quod sit malum morale, probatur. Illa tendentia moraliter mala prius convenit actui quam privatio rectitudinis; ideo enim actus peccati caret rectitudine, quia tendit in objectum malum, cum omnis motus tendens ab uno termino ad alium, primo per se respiciat terminum ad quem, ex quo sequitur aversio seu recessus a termino a quo. Ergo.

Et dato quod privatio non sequeretur, sed præcederet aut saltem comitaretur actum, ut quidam volunt, nihilominus subsisteret argumentum, quia fieri non potest quin tendentia moralis actus ad objectum morale non contrahat speciem moralem, cum omnis actus a suo objecto specificetur.

4<sup>o</sup> Moralitas formalis generice sumpta consistit in positivo, scilicet in ordine reali transcendentali ad objectum subditum regulis morum, et in tres species dividitur, in bonitatem, malitiam et indifferentiam, ut diximus in tractatu *de Actibus humanis*. Atqui genus positivum non potest contrahi per privationem, sed solum per differentiam positivam. Ergo differentia constitutiva malitiæ moralis, sicut bonitatis, est positiva.

*Responsiones adversæ partis*

Ad primum respondetur quod Scriptura explicet peccatum, modo per privativum, modo per positivum, ita ut privativum sit formale et positivum materiale. At instant alii, quod hæc responsio sit non solum gratuita, sed etiam falsa, tum quia Deus non minus conqueritur de positivo quam de privativo, tum quia solum peccatum formale est abominabile: hic autem abominatio est quid positivum, nempe dilectio.

Ad secundum respondetur, S. Thomam loqui de peccato materialiter et in esse physico considerato, non formaliter et in esse moris, seu pro formali malitia; vel, ut alii dicunt, de peccato commissionis ut est commissio, non ut est peccaminosa. Verum, inquit alii, S. Thomas, 1<sup>a</sup> 2<sup>e</sup>, a q. 8 ad 18 jam egerat de actibus humanis in esse physico; a q. autem 18 inclusive et deinceps agit de bonitate et malitia morali actuum humanorum. Ergo saltem textus laudati ex 2<sup>a</sup> 2<sup>e</sup> male exponuntur de specificatione et constitutione peccati quoad materiale peccati. Insuper illic et alibi S. Doctor eodem modo loquitur de constitutione boni moralis formaliter. Ergo.

Ad tertium respondetur, istam tendentiam non terminari ad objectum reduplicative ut malum moraliter, seu ut difforme regulis morum, sed solum materialiter et speculative; illud enim respicit formaliter ut bonum quoddam utile aut delectabile, cum nemo intendens malum operetur. Ex quo sequitur quod illa tendentia habeat tantum ab objecto quod sit mala materialiter et fundamentaliter, et non formaliter.

Ad quartum respondetur quod moralitas in communi non sit genus univocum ad bonitatem et malitiam, sed analogum, importans duas diversas rationes, unam positivam, alteram negativam. Sed instant alii in illa tendentia positiva actus ad objectum malum, quæ est vera species positiva in linea morali, non bona, non indifferens. Ergo mala. Ergo subest generi ejusdem rationis.

## ARTICULUS III

*De peccato omissionis*

## § I

*Utrum omnis actus omissioni adjunctus et cum observantia præcepti quod omittitur impossibilis, sit peccatum, et ejus speciei?*

Suppono ex tractatu præcedenti *de Actibus humanis*, dissert. I, a. 2, peccatum omissionis posse esse absque omni actu qui sit de essentiali ejus ratione, non tamen sine omni actu qui sit causa vel occasio illius. Potest etiam intervenire actus concomitanter tantum, et qui non sit causa aut occasio illius,

Dico 1<sup>o</sup>: Omnis actus, quamvis ex objecto bonus, qui est causa vel occasio omissionis actus præcepti, vitiatur ex ipsa omissione et fit malus. Actus vero qui non est causa vel occasio omissionis, sed tantum concomitanter se habet ad illam, quamvis sit cum actu præcepto impossibilis, nisi sit aliunde malus, non est peccatum, nec vitiatur ex omissione. Unde, si quis ex affectu ad studium omittat sacrum, studium est malum; si quis vero, post firmum propositum omittendi sacrum, ne maneat otiosus, studeat, studium non est peccatum.

Patet prima pars: 1<sup>o</sup> Quia ponere causam vel occasionem peccati, est consentire in peccatum et illud velle indirecte. Atqui consentire in peccatum, et illud velle etiam indirecte, est peccatum, *Rom.*, 1, 32. 2<sup>o</sup> Quia eodem præcepto prohibetur ommissio et actus qui est causa vel occasio ejus; sic, v. g., præceptum affirmativum audiendæ missæ includit virtualiter præceptum negativum prohibens omnia impediencia aditionem missæ.

Secunda pars etiam patet: quia, cum iste actus neque ex se neque ex circumstantiis supponatur malus, nullam potest habere malitiam nisi ex omissione. Nullam autem

habere potest ex omissione cujus non est causa vel occasio, sed ad quam per accidens tantum et concomitanter se habet. Ergo.

Si dicas, hunc actum fieri tempore indebito, *resp.*: Facta suppositione quod quis efficaciter se prius determinaverit actum præceptum omittere, v. g., sacrum, tunc studium non fit tempore formaliter et privative indebito, sed materialiter tantum; quia tunc studium non prohibetur ratione sui, sed ratione omissionis sacri, cujus non est causa vel occasio. Unde melius est tunc studere, quam manere otiosus.

Hinc inferes, ludentes tempore sacri cum eo qui prius firmiter statuit non audire sacrum, non peccare, quia iste ludus cum concomitanter tantum se habeat ad omissionem sacri, non est peccatum, sicque colludentes non participant peccato alterius: seelus, propter rationem oppositam, dicendum esset, si propter ludum omitteret sacrum.

Cæterum, intellige secundam partem conclusionis de actu qui sic se habet concomitanter ad omissionem, ut tamen non auferat potentiam adimplendi præceptum, casu quo sit locus et spes retractandi malum propositum; quia tunc licet actus iste se haberet consequenter seu concomitanter tantum ad primam omissionem, haberet se tamen antecedenter et causaliter ad sequentes, casu quo mutaret voluntatem, cujus mutationis supponitur adesse spes et locus. Imo committeret novum peccatum ab omissione distinctum, quia non solum non obedire præcepto peccatum est, sed et maxime auferre sibi possibilitatem adimplendi; quod est cordis obdurati argumentum.

Hinc inferes, clericum navigantem, qui post impium propositum non recitandi horas per totam et longam navigationem, projicit suum Breviarum in mare, præter omissionem, distinctum peccatum committere explicandum in confessione propter impossibilitatem quam voluntarie contrahit adimplendi præcepti, dum est locus et spes, ob diuturnitatem temporis, retractandi malum propositum.

Idem cense de eo qui, post firmum propositum non servandi votum castitatis, uxorem ducit; idem de illo qui, post firmam voluntatem non restituendi aliena, ea dissipat: et de aliis similibus. Secus de illo qui, post efficax propositum non audiendi sacrum, se somno dat instante tempore sacri, quia non est verisimile quod in tam brevi intervallo mutaret sententiam; ac proinde somnus non censetur tollere potentiam moralem audiendi sacrum, sed ablatam supponere.

Dico 2<sup>o</sup>: Quamvis actus de se bonus aut indifferens, qui est causa vel occasio omissionis culpabilis, fiat malus, communis tamen sententia est, contra paucos, non esse malum alia malitia quam omissionis, sicque non esse necessario explicandum in confessione; ita ut qui sacrum omisit propter studium aut ludum, sufficit si dicat se omisisse sacrum.

*Ratio est*, quia, sicut voluntas omittendi non est peccatum neque specie neque numero distinctum ab ipsa omissione (voluntas enim omittendi se habet ad omissionem, sicut actus interior ad exteriorem, qui interiori nihil bonitatis vel malitiæ addit), ita nec actus qui est causa vel occasio omissionis, quippe qui in tantum est malus, in quantum includit voluntatem omittendi.

*Confirmatur*. Omissio et actus qui est causa vel occasio illius, eodem præcepto prohibentur, ut jam dictum est; lex enim quæ præcipit audire sacrum, v. g., includit præceptum negativum prohibens poni actum impeditivum auditionis sacri. Ergo tam actus quam omissio sunt contra eandem virtutem religionis.

## § II

*Quo tempore fiat peccatum omissionis?*

Quæstio est de casu quo quis, dum urget præceptum, est impotens illud adimplere, v. g., mane prævidens obligationem audiendi missam, se inebriavit. Quæritur an peccet peccato omissionis quando se inebriavit, an quando currit tempus audiendi missam.

Dico: Peccatum omissionis fit utroque tempore: inchoative et quoad affectum, quando ponitur causa; consummative et quoad effectum, quando adest tempus adimplendi; modo tamen omissio maneat voluntaria in sua causa.

Prima pars ab omnibus admittitur, et patet; quia tunc incipit peccatum, quando incipit voluntas peccandi. Atqui qui ponit voluntarie causam omissionis culpabilis, vult saltem indirecte ipsam omissionem culpabilem. Ergo.

*Probatur* secunda pars, 1<sup>o</sup> evertendo fundamentum sententiæ oppositæ. Peccatum omissionis consistit in privatione voluntaria actus debiti. Atqui, dum de facto accidit omissio, tunc datur privatio actus debiti, talisque privatio est sufficienter voluntaria, ut sit peccaminosa. Ergo. — Prima pars minoris constat. — Probatur secunda, de qua est difficultas. Ut aliquid sit in se peccatum, sufficit quod in causa sua sit voluntarium. Atqui omissio contingens, v. g., in somno vel ebrietate, est in sua causa voluntaria; supponimus enim somnum vel ebrietatem fuisse libere posita. Ergo. — Prob. major, 1<sup>o</sup> variis exemplis. Sic pollutio nocturna, licet non sit in se formaliter libera et voluntaria, est peccatum, quia est voluntaria in causa, puta turpi cogitatione vel tactu. Sic homicidium in ebrietate perpetratum ab eo qui ipsum præviderat, est in se peccaminosum, quia est voluntarium in causa, ut docet S. Thomas, 2<sup>a</sup> 2<sup>a</sup>, q. 150, a. 4, o. Sic actus peccati ex ignorantia vincibili sunt in se peccaminosi, licet in se involuntarii, utpote incogniti, sed tantum voluntarii in causa, nempe ignorantia. Ergo. 2<sup>o</sup> Si ad formale peccatum requireretur semper quod esset in se voluntarium, et non sufficeret voluntarium in causa, nullum homicidium, nulla pollutio, idem dic de pluribus aliis, foret in se peccatum; quia, dum de facto eveniunt, non sunt amplius in potestate occidentis aut se pollutentis.

2<sup>o</sup> Peccatum omissionis consistit in voluntaria cessatione ab actu debito. Atqui ante tempus quo currit obligatio præcepti, actus non est debitus. Ergo. Sicut itaque, quando quis vult furari, antequam auferat alienum, non

dum est peccatum furti completum; ita, quando quis vult omittere, antequam omittat, nondum est peccatum omissionis completum.

*Confirmatur.* Omissio actualis debet accusari in confessione, non secus ac actus exterior, et ita fert praxis communis fidelium et confessoriorum. Ergo est peccaminosa.

*Obj.* Ex nostra sententia sequitur hominem in somno posse mereri, et sacramenta conficere, cum non requiratur major libertas ad merendum et ad conficiendum sacramenta, quam ad peccandum. Atqui utrumque est inconueniens. Ergo.

*Resp.* ad primum, non esse inconueniens hominem in somno mereri continuatione meriti in vigilia comparati, maxime si effectus per se sequatur ex causa libere volita, aut formaliter intendatur, ut patet in martyre, qui in instanti mortis, dum non est sui compos, meretur aureolam martyrii. Negamus tamen posse valide conficere sacramentum, non defectu sufficientis libertatis, sed quia Christus, ex communi sensu Ecclesiae, instituit et voluit sacramenta confici ab homine sui compote, et cum morali certitudine debite materiae, tum propter reverentiam sacramenti, tum ob periculum multorum inconuenientium alioquin futurorum. Adde, verba dormientis non esse verba formalia, defectu significationis, sed verba materialia, ut in psittaco ea proferente.

*Petes* 1<sup>o</sup> an ei qui voluntarie et culpabiliter causam posuit, imputari debeant omnes omissiones et commissiones peccaminosae ex illa secutae.

*Resp.* et sit regula generalis: Ei qui voluntarie et culpabiliter posuit causam, imputantur quoad reatum et affectum omnes omissiones et commissiones peccaminosae quae praevidit, aut debuit ac potuit humano modo praevidere secuturas ex tali causa; quia hoc ipso sunt ipsi voluntariae in causa. Sed

*Petes* 2<sup>o</sup> quando quis censetur praevidisse, aut debuisset ac potuisse humano modo praevidere omissiones et commissiones peccaminosas, ut ipsi imputentur ad culpam.

*Resp.* multipliciter: 1<sup>o</sup> quando per se aut ut plurimum sequuntur ex tali causa; 2<sup>o</sup> quando quis videt in aliis aequalis complexionis similia contingere; 3<sup>o</sup> quando praecipua adimplenda proxime instant.

Hinc colligere poteris varia consecutaria pro praxi.

## DISSERTATIO II

DE DISTINCTIONE SPECIFICA ET NUMERICA  
PECCATORUM

D. Thomas, q. 72.

## ARTICULUS I

*Variae peccati divisiones.*

Peccatum generalissime sumptum dividitur in peccatum originale, quod ab Adamo ad posteros per seminale propagationem derivatur, et personale, quod propria voluntate committitur. Personale subdividitur in actuale et habituale. Actuale est actus seu omissio difformis regulis morum; habituale est macula relicta in anima ex peccato actuali. De peccato originali et habituali specialiter infra. Nunc de peccato actuali.

Peccatum actuale dividitur: 1<sup>o</sup> in mortale et veniale<sup>1</sup>. Mortale dicitur quod mortem animae infert, eam privando gratia sanctificante, quae est vita animae in ordine supernaturali, et eam avertendo simpliciter ab ultimo fine; unde ex ipsa sua ratione est irreparabile, et inducit reatum poenae aeternae. Veniale dicitur quod, cum gratia et charitate non privet, sed ejus fervorem tantum diminuat, nec avertat simpliciter ab ultimo fine, sed ab ejus consecutione dumtaxat retardet, relinquit principium vitae et

1. Hic q. 72, a. 3, o.